41

ETHNICA

IESVITARVM DOCTRIna de duobus præcipuis Chriſtianæ fidei articulis, nempe de expiatione remiſsioneq́; peccatorum: ac de iuſtificatione aut iuſtitia Chriſti, qua Chriſtiani iuſtificantur: ex eorum autentico, magniſq́; bullis confirmato Catechiſmo, ad verbum deſcripta.

Vnde Chriſtianus homo certò de tota aduerſariorum doctrina ac religione iudicare poteſt.

M. Flac: Illyricus.

A P G L Augſburgu ab Illyrico missu Iunio 1564

DE EXPIATIONE AC REMISSIONE PECCATORVM.

Quibus verò modis peccata expiantur?

MVLTOS certè huiuſmodi MODOS, ſicuti diuerſis morbis diuerſa remedia conueniunt, ſacra ſcriptura nobis in Eccleſia proponit: Principem vero locum tenet pœnitentiæ Sacramentum, quo neglecto, fruſtra de reliquis lethalium peccatorum remedijs adhibendis agimus. Hoc enim vt præſens, ita neceſſariũ pharmacum CHRiſtus animarum medicus inſtituit, & contra omnem peccati lepram valiturum nobis commendauit, quando dixit ſacerdotibus: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.

Secundo purgantur & expiantur eleemoſyna: quia ſcriptum eſt, eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non

 patie-

patietur animam ire in tenebras. Tum alibi: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.

Tertio, remittuntur peccata, dum læſi, fratri offenſam condonamus, dicente Domino, Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cœleſtis delicta veſtra.

Quarto, idem fit, cum peccantem fratrem lucrifacimus, ſicuti legitur: Qui conuerti fecerit peccatorē ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Quinto, huc pertinet abundantia ſynceræ charitatis, ob quam de Magdalena dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas enim operit multitudinem peccatorum.

Sexto, idem valet contriti cordis ſacrificium, quod nunquam deſpicit DEVS.

Re-

Reſpicit .n. in orationē humilium, & non ſpernit preces eorum: ſicut ſcriptum eſt de Niniuitis: Vidit DEVS opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt DEVS ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

His alijſq; modis & officijs veræ pietatis comparamus atq; præſtamus, quod Apoſtolus æquiſsimè admonet: Has habentes promiſsiones chariſsimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore DEI. Quod etiam clarius explicans Auguſtinus & ſcripturæ teſtimonijs confirmans, dixit: Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatis fiat DEO, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Alioquin quiſquis de peccatis lethalibus in ſe aliqua dominari cognouerit, vt idem Auguſtinus eſt author, niſi dignè ſe emen-

 dauerit,

dauerit, & ſi habuerit ſpacium, longo tempore pœniten iam egerit, & largas eleemōſynas erogauerit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo agit Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine vllo remedio cruciabit. Non enim capitalia poſt hanc vitam, ſed minuta peccata purgantur expianturq;.

Quid verò de minutis peccatis eſt ſentiendum?

Id ſcilicet, quod eiuſmodi leuiora, uti vaga mens, verbum ocioſum, riſus immoderatus, & conſimilia, quæ quotidiana ſeu venialia peccata dicuntur, & ſine quibus hæc vita non ducitur, (In multis enim offendimus omnes) et ſi lethalia non ſunt, & in ſpeciem minuta uidentur, tamen haudquaquam ſunt contemnenda. Siquidem DEVM ipſum offendunt, contriſtant Spiritum ſanctum, obfuſcant conſcientiam, charitatis feruorem imminuunt, virtutumq; profectum remorantur, & ad gra-

uiora

uiora ſæpè vitia, periculaq; pertrahunt. Vnde ſcriptum eſt, Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Ac rurſum: Qui amat periculum, peribit in illo. Cauendæ ſunt igitur, quantum licet, hæ labes & ſordes animæ: quoniam ut legimus, Non intrabit in cœleſtem Hieruſalem aliquod coinquinatum. Ac niſi in hac vita illæ diluantur, etiam poſt mortem hominē grauant, nec ſine pœnis quidem acerbis purgatorij ignis expiantur.

Quibus autem remedijs peccata leuiora purgantur?

Vt eiuſcemodi animæ ſordes, in hac vita diluantur, Eccleſia vetus remedia iſthæc agnouit, & in vſu habuit, humilem ſui accuſationem, Dominicam præcationē, pectoris tunſionem, & alias id genus pias in Deū, ac etiam erga proximū exercitatiōes, corporiſq; afflictiones ſpontè ac religioſè ſuſceptas. Quæ quidem remedia tanto lubentius ac ſtudioſius amplectuntur, ſapientes, quo rectius norunt et diligentius ex

pendunt, quod metuendus ille Iudex affirmat. Dico vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Hæc ſunt Ieſuitarum Catechiſmi propria verba. Vbi eſt ſacra Miſſa? Vbi hic à Ieſuitis cum Baptiſta digito monſtratur ille vnicus agnus DEI, qui ſolus eſt IESVS & ſeruator, ſaluum faciens populum à peccatis ſuis, & ſolus tollit peccata totius mundi Ioan: 1. Iſaie 53. ? De quo tota ſcriptura teſtatur, quod non ſit aliud nomen ſub cœlo datum, per quod oporteat homines remiſsionem peccatorum accipere Actor: 4. 10. Si enim ex operibus noſtris remiſsio peccatorum, tum certè fruſtra CHRISTVS eſt mortuus, Galat: 2. Vbi hic reperitur illa ſumma & quaſi medulla aut cor ſacrarum literarum, quod ſolus CHRISTVS vnico ſacrificio paſsionis ſuæ totius mundi peccata pleniſsimè ac perfectiſsimè expiauit ac aboleuit? Nemo ſanè mentis negare poteſt, hanc eſſe

ſum-

ſummam, ſcopum ac caput totius ſcripturæ.

At Catharinus Archiepiſcopus Compſanus, vnus ex præcipuis patribus concilij Tridentini, integro volumine Romæ anno M. D. LII. impreſſo aſſerit Chriſtum ſuo cruento ſacrificio expiaſſe tantum peccata ante Baptiſmum patrata: peccata verò poſt Baptiſmum, neceſſariò per Miſſam expianda abolendaq; eſſe: Sic iſti Chriſtum cum ſuo ſacrificio prorſus ſepeliunt, Chriſtianiſq; ocioſum ac inutilem efficiunt.

DE IVSTIFICATIONE aut iuſtitia, qua fideles coram Deo à Chriſto iuſtificantur.

Quænam pertinent ad iuſtitiam Chriſtianam?

Summatim DVO, quæ his verbis continentur: Declina à MALO & fac BONum, ſicut & Eſaias docet: Quieſcite agere peruerſè, & diſcite benefacere. Prius eſt in cognoſcendis fugiendiſq; peccatis poſitum, quoniam ea ipſa maxima ſunt mala mortalibus: Poſterius uerò in bonis expetendis atq; conſectandis verſatur ?

Quid eſt peccatum?

Auguſtino teſte, peccatum voluntas eſt retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere. Ambroſius verò, Quid eſt peccatum, inquit, niſi legis diuinę præuaricatio, & cœleſtium inobedientia præceptorum.

An ne ſatis eſt à peccatis abſtinere?

Iuſtitia quidem Chriſtiana, de qua hūc uſq; diximus, duas PARTES proponit, et velut æquè neceſſarias nobis commendat hiſce verbis: DECLINA A MALO, ET FAC BONVM, ſicut et Paulus docet: ODIENTES MALVM ET AD-

HAE-

HAERENTES BONO. Non ſufficit igitur (quod Auguſtinus perſpicuè dixit) abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt: & parum eſt, nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe. Quapropter abſoluta utcunq; iuſtitiæ priore parte, q̃ mala ꝓhibet, conſequens eſt, vt de altera porrò, q̃ in bonis cōſectandis eſt poſita, dicere pergamus.

Iuſtitia Chriſtiana circa quæ bona verſatur?

Hæc iuſtitia tam latè patet, vt omnia bona, quæ honeſtè, præclarè, ac piè fiunt, in ſe contineat, nobiſq; expetenda, & conſectāda proponat. Vnde fideles Apoſtolus commonefacit: Ambuletis dignè DEO per omnia placentes in omni opere bono, fructificantes, prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Hic enim noſtræ vocationis et Chriſtianę iuſtitiæ, per Chriſtum partæ, verus eſt vſus, ac fructus proprius, eodem Apoſtolo teſte, videlicet, Vt abnegantes impietatem & ſecularia

deſi-

deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo. In eundem ſenſum nobis proponitur Euangelicum illud: Vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Nam idcirco redemit nos Chriſtus ab omni iniquitate, vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Ipſius enim DEI ſumus factura, creati in CHRISTO IESV, in operibus bonis: quæ præparauit DEVS, ut in illis ambulemus. Ita conſtanter Paulus ſcribit, omneſq; admonet, de obſeruanda & colenda ſemper iuſtitia Chriſtiana. Quid multis? Filioli, inquit Ioannes, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt: qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Et Iacobus, Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operibus mortua eſt. Hæc ſunt Ieſuitarum verba.

En hic clarè audis Ieſuitas collocare iuſtitiam in noſtris proprijs operibus, non in ſolo ſanguine Chriſti. Confer autem hanc eorum doctrinam de iuſtificatione Chriſtiani hominis cum Paulo Rom: 3. 4. & 5. Imò & cum totò Paulo, qui iuſtitiam noſtram collocat in ſola paſsione, & obedientia & ſanguine Chriſti nos ab omnibus peccatis lauante, & ſuper niuem dealbante. Quiq; omnia noſtra opera ex iuſtificatione ſeuerißimè excludit, clamans, ſine operibus, non ex operibus, non ex vobis, gratis, donum DEI eſt, iuſtificari non operantem & impium. Sicut & Auguſtinus dicit libro de fide & bonis operibus: Bona opera ſequuntur iuſtificatum, & nõ præcedunt iuſtificandum. SIC eodem prorſus modo etiã Ethnici, Turcę ac Iudęi docent, unumquemq; ſuis uirtutibus & bonis operibus coram DEO iuſtum ESSE AC FIERI.

An non eſt hoc illud phariſaicum dogma de iuſtitia legis aut operum, quam qui

ſectan-

ſectantur, iuſtitiæ Chriſti ſubiecti non ſunt, quæ id ſolum dicit, crede quod Chriſtus pro te de cœlo deſcendit, paſſus eſt & reſurrexit Rom: 9 & 10. Si enim ex operibus iuſtitia, Christus profectò fruſtra mortuus eſt, & ad patrem abijt Ioan: 16. Galat. 2.

Hæc duo capita aut articuli fidei, nempe expiatio peccati & iuſtificatio ſunt præcipuum officium Chriſti ſeruatoris, qui ſolus eſt iuſtitia noſtra Hierem: 23. & 33. Quare Ieſuitæ hac ſua blaſphema hæreſi prorſus abolent & irritum faciunt præcipuum officium & efficatiam filij DEI. Caueant igitur ſibi ab iſtis lupis omnes puſilli Chriſti & clament contra eos. Si quis aliud Euangelium prædicauerit, quam Paulus, ſit anathema Maranata, Amen.

Hoſce, fœdiſsimos peſtilentiſsimoſq; errores, atq; adeo plenam perfectamq; abolitionem paſsionis, ſanguinis, expiatio-

nis